



inter quadrupedes temperamento constitutus Elephas, iccirco viuit diuissime: igitur aut optimum temperamentum *Subtilis:* simpliciter, est causa longa vitæ: quare homini non optimum, quia vita non longissima. Aut si in quadripedum solo genere optimum temperamentum longæ vitæ causa est: non erit simpliciter causa, sed forma ipsa, conseruans id, quod sibi comparauit. Hoc autem non est optimum in Natura, diuissime viuere, sed sapientissime. Hominis enim vita non hæc est, sed via ad vitam, quæ æterna est. Aliis animantibus quod adest, suum ipsorum est. Homini quod adest, est *Pulchert:* propter id, quod abest. Abest enim, quod suum ipsius est. Haud eo iniicias, temperamentum esse quasi instrumentum formæ ad conseruationem: sed nego, esse per se causam. Non est igitur Elephantum optimum temperamentum ad viuendum diu: quia esset optimum in Olea, aut Palma aut Vino, quæ diuius viuunt. An vero temperamentum optimum attribuat suillo generi Galenus: propterea quod humanis simillimas carnes illas iudicavit: in Commentariis nobilium exercitationum satis disputatum est. Neque magnitudinem, neque paruitatem agnoscit Philosophus vitæ longæ, breuiusue causam, in libro super ea peculiari.

## EXERCITATIO CCV.

*Monoceros. Rhinoceros.*

QVONIAM malo fato à Grammaticorum ferula toties subductus in Philosophorum plagas incidisti? Nequeto tibi, Cardane, opitulari, qui Monoceros sub Rhinocerotis nomine pinxisti: quum duæ sint belluæ longe diuersissimæ Rhinocerotis eius picturam vidimus, cuius cadauer è naufragio eiectum est in Tyrrenum litus. Capite suillo, tergo munitus scutulato. Cornu gemino, altero pusillo in fronte, altero in nare robustissimo, quo audacissime pugnat, ac vincit Elephantum. Vt iam desinant nugari Grammatici, de gemino cornu apud Martialem. Monocerotis autem figuram ex Vartomani facetissima narratione huc adscribemus. Vnicornibus Equi magnitudo: erara, pedes, caput, Cerui. Pili color balius. Equi iuba, præ-

rior, breuior. Coræ villosæ. Cornu vnum integrum Nicæ vidimus: alia alibi. Suffuluum vnum: vnum subluceum, accedens maxime ad buxum: vnum subpunicæ. Etiam habemus frustum candidum. Negat Vartomanus ferocem esse: contra quam ab aliis vulgo acceperamus. Tametsi ceteram quoque historiam animaduertas à multorum narrationibus discrepantem. Sed Vartomano, viro optimo, qui sese duos vidisse scribit, habenda fides est. Quidam recentiorum, qui alienis operis suas interpolant merces, Otygem, atque Monocerotem eundem esse arbitrati sunt: Credo quos legerent: ὄρυγος μονοκέρωτος. Cæterum hoc eius epitheton est: at huic nostro, quod agimus, nomē proprium. An sit Asinus Indicus, in Aristotelicis Commētariis est à nobis explicatum. Idem maiore etiam flagitio cum Gazella Otygem confundere.

## EXERCITATIO CCVI.

*Elg. Suber. Bison. Aurox.*

SI NOSTRORVM seculorū nomina sequamur, historia facilis est Sed veteribus aptare non facile est. Quamquam inter se recentiores quoque dissident. Elg igitur, aiunt, significare Asinum syluestrem: Nihil tamen habet Asini. Suizeri sic appellant animal, Cerui facie, collo; cornibus, vngula. Cui præterea sunt in armis iuba: coxendices hirtissima: villi rariore ad palaria. Iceirco hunc esse puto, quem Plinius Bisontem vocat. A nostris Germanis, Aurox, si recte memini. A Lituanis, aiunt, Suber, dici. Latinscula ei, quam Ceruo cornua, sed breuiora:

2. *Elk. Ranger. Rangifer. Alce: Machlis:*

HINC tollendi sunt errores aliquot. Primus est coniunctus cum Plinii ignavia. Is enim Alces nomine posito, nihil apposuit eius, vel figuræ, vel naturæ. Casar autem Capræ formam attribuit, magnitudinem paulo ampliorem, sed suffraginum carere flexu. Plinius hoc adscribit feræ huius simili, quæ sit Scandinaviæ peculiaris: appellatque Machlin. Ego Alcem Elk puto: quæ sit alia ab Elg Suizerorum.

Eos